



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. I. Vtrum dona Spiritus Sancti sint habitus, à virtutibus etiam infusis  
distincti?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

le, nimirum secundum species intelligibiles in intellectu possibili servatas; non manere tamen quantum ad materiale, nempe quantum ad phantasmata, quibus extrahuntur per intellectum agentem: quia cognitio non fiet tunc per conversionem ad illa, sed erit alius modus intelligendi.

Articulis sequentibus docet ex virtutibus Theologicis, nec fidem nec spem, sed duntaxat charitatem remanere in patria. De quo in tractatu de virtutibus Theologicis.

## DISPUTATIO VI.

*De donis spiritus Sancti.*

*Ad questionem 68. Divi Thomae.*

**C**um dona Spiritus Sancti maximam cum virtutibus habeant cognationem, tractatu de virtutibus subiungimus veluti appendicem, disputationem de donis Spiritus Sancti, in qua de illis tam in communi quam in particulari breviter differemus.

### ARTICULUS PRIMUS

*Utrum dona Spiritus Sancti sint habitus, & virtutibus etiam infusus distincti?*

**1.** Dupliciter potest aliquid dici donum Spiritus Sancti: primo generali quadam ratione, quia scilicet gratis à Spiritu Sancto ut à causa efficiente procedit; & in hoc sensu omnes gratiae, & virtutes infusae possunt dici dona Spiritus Sancti: secundò speciali quadam ratione, quatenus donum importat specialem dispositionem à Spiritu Sancto animae impressam, qua disponitur ad hoc ut bene & facile ab ipso ad opera extraordinaria moveatur. Dari autem in nobis huiusmodi dona seu dispositiones, constat ex Scriptura, Isaia 11. Ecclesiast. 10. & 15. 1. ad Corinth 12. & alibi saepe, ubi fit expressa illorum donorum mentio: tum etiam ex hymno Ecclesiastico, in quo Spiritus Sanctus *Septiformis munere* appellatur, ipsumque his verbis Ecclesia interpellat: *Da tuis fidelibus in te consistentibus sacram septenarium.*

**2.** Accedit ratio D. Thomae, qui hic art. 1. sic discurrit: *Omne quod movetur necesse est proportionatum esse motori, & haec est perfectio mobilis in quantum est mobile, dispositio qua disponitur ad hoc quod bene moveatur à suo motore: Quanto igitur movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur; sicut videmus quod perfectius oportet esse discipulum dispositum ad hoc ut altiore doctrinam capiat à Doctore. Manifestum est autem quod virtutes humane perficiunt hominem, secundum quod natus est moveri per rationem in his quae interioris vel exterioris agit: Oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundum quas fit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur; & iste perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur à Deo, sed quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur promptè mobilis ab inspiratione divina, sicut dici-*

*tur Isaia 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.*

Vocantur etiam in Scriptura perfectiones illae Spiritus Isaia 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Cujus appellationis varias & egregias rationes seu congruentias adducit Joannes à S. Thoma hic disp. 18. art. 1. Prima est, quia perfectiones illae donantur à Spiritu Sancto, cui nomen Spiritus & nomen doni tribuitur. Secunda, quia ex amore spirante & ponderante, & veluti ex spiritu cordis Dei procedunt. Tertia, quia quasi ipso Dei halitu inspiratur anima, quae ipsi ornatur, amplectendo ipsum quasi sponsum osculantem se, & osculo oris sui spiritum ei immittentem, ut perficiantur, & eleventur virtutes ad superiorem modum operandi, juxta illud Psal. 32. *Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorum.* Denique dona illa caelestia Spiritus appellantur, quia his homo à Spiritu Sancto agitur, movetur, ac impellitur ad opera ardua & extraordinaria, juxta illud Apostolus ad Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt.* Ubi Glossa: *Aguntur, dicit, non reguntur: plus est enim agi, quam regi: agi enim dicimus aliquem vix agentem, regi autem quasi iam aliquid agentem, qui ideo regitur ut recte agat: sed aguntur non quod nihil per se agant, sed quod ut aliquid agant, impetu gratiae impelluntur.* His praemissis

Duae circa illa dona occurrunt difficultates, in titulo hujus articuli insinuat, & breviter hic discutendae ac resolvendae. Prima est, an illa sint proprie habitus? Secunda, an distinguantur à virtutibus Theologicis, & moralibus infusis?

#### §. I.

*Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.*

**D**ico primò, dona Spiritus Sancti esse proprie habitus. Ita communiter docent Theologi cum D. Thoma hic art. 3. licet aliqui, ut refert Lorca, existimaverint haec dona solum esse actus quosdam virtutum speciales, non habitus.

Probatùr primò: Isaia 11. dona omnia in Christo permanentè fuisse asseritur, his verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus &c.* requiescere enim permanentiam importat: Sed donum permanentè inhaerens est habitus, non verò actus, vel dispositio transtiens: Ergo dona Spiritus Sancti sunt veri habitus, non verò actus, aut dispositiones transeuntes.

Probatùr secundò: Anima nostra est mobilis à triplici motore, scilicet à ratione, à lumine gratiae & fidei, & à speciali impulsu & instinctu Spiritus Sancti praeter communes regulas naturae & gratiae: disponitur autem ut facile & connaturaliter moveatur à ratione, per virtutes morales acquisite; ut moveatur à lumine fidei & gratiae, per virtutes morales infusas: Ergo ut connaturaliter moveatur à Spiritu sancto, debet etiam per aliqua dona habitualia disponi, ac proinde dona illa debent esse veri habitus, sicut virtutes morales acquisite & infusae.

Confirmatur: Per dona nobis, ut ita loquar

connaturalizantur actus ad quos moventur ex speciali instinctu Spiritus Sancti, sicut per virtutes morales acquiras, vel infusas, actus honesti ordinis naturalis vel supernaturalis, sunt nobis connaturales: Sed propter hanc causam virtutes illæ habent rationem habitus: Ergo & similiter dona Spiritus Sancti.

Dico secundò, dona Spiritus Sancti distingui realiter à virtutibus infusis, sive theologicis, sive moralibus. Est contra Scotum, Vazquezem Lorcam, & alios, existimantes dona hæc esse ipsamet virtutes infusas, secundum aliquam peculiarem denominationem, vel officium, ratione cuius dicuntur dona.

Probatur primò conclusio ex D. Thoma hic art. 1. in *sed contra*, ubi ex S. Gregorio lib. 1. moralium cap. 14. distinguit septem dona, (quæ dicit significari per septem filios Job) à tribus virtutibus theologicis, quas ait per tres filias Job figuratas esse. Et ex secundo moralium distinguit ea à quatuor virtutibus cardinalibus, quas dicit significari per quatuor angulos domus Job.

Probatur secundò ratione fundamentali: Illi habitus distinguuntur realiter, qui respiciunt distincta formaliter objecta: Sed virtutes & dona respiciunt objecta formaliter diversa: Ergo distinguuntur realiter. Major constat, Minor probatur. Virtutes acquiras respiciunt objectum ut dirigibile per regulas prudentiæ acquiras; virtutes verò infusæ illud attingunt ut dirigibile per regulas prudentiæ infusæ, modo communi & ordinario: At dona illud respiciunt ut dirigibile modo altiori, nempe per quandam specialem inspirationem & motionem Spiritus Sancti, præter regulas prudentiæ, præviæ ad consilium & deliberationem. Unde Aristoteles lib. 1. moral. cap. de bona fortuna, ait quod *his qui moventur per instinctum divinum, non expedit consilium secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiore instinctum; quia moventur à meliori principio, quam sit ratio humana*: Atqui objectum ut dirigibile modo altiori supra regulas prudentiæ, distinguitur formaliter ab objecto ut dirigibili solum per regulas prudentiæ: Ergo virtutes & dona respiciunt objecta formaliter distincta.

Confirmatur: habitus quibus aliquid mobile disponitur ad recipiendam motionem ab aliquo superiori motore, debent inter se distingui, juxta motorum distinctionem & qualitatem: Sed homo per virtutes acquiras redditur promptè mobilis à lumine naturæ; per virtutes verò intus à lumine gratiæ & fidei; & tandem per dona à speciali impulsu & instinctu Spiritus Sancti: Ergo dona debent distingui ab illis virtutibus. Minor est certa. Major verò ex eo constat quòd omne mobile debeat proportionari suo motori.

Tertiò suaderi potest conclusio, & Adversariorum sententia convelli, argumento ad hominem: Cum enim Scotus, Vazquez, & Lorca, contra quos disputamus, non admittant virtutes infusas morales, sed duntaxat theologicas, si dona Spiritus Sancti à virtutibus infusis non distinguerentur, deberent reduci ad virtutes theologicas, seu cum illis identificari: v. g. sapientia, scientia, intellectus, & consilium, ad fidem reduci deberent, seu identificari cum illa; nam cum in intellectu resideant, cum spe & charitate, quæ in voluntate subiectantur, identifi-

cari nequeunt: Sed talia dona non possunt reduci ad fidem, seu cum illa identificari: tum quia fuerunt in Christo, in quo non fuit fides; tum etiam, quia (ut infra dicemus) remanent in patria, à qua fides excluditur, utpote cum clara Dei visione impossibilis, ut in tractatu de virtutibus theologicis ostendimus: Ergo dona Spiritus Sancti à virtutibus infusis realiter distinguuntur.

## §. II.

## Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

**O**bjicies primò contra primam conclusionem: De ratione habitus est permanentia: Sed hæc non convenit donis Spiritus Sancti: Ergo illa non sunt habitus. Major patet, Minor verò probatur primò ex D. Gregorio lib. 2. moral. cap. 41. ubi sic ait: *In cunctis fidelibus Spiritus sanctus venit, sed in solo Mediatore semper singulariter permanet*: Ergo dona non habent permanentiam in aliis hominibus à Christo.

Secundò probatur eadem Minor: Prophetia, dona miraculorum, & aliæ gratiæ gratis datæ, non dantur hominibus permanenter, & per modum habitus, sed transeunter, & per modum motionis: ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 2. Ergo idem de donis Spiritus Sancti dicendum est.

Probatur tertiò: Homo concurrit solum ut instrumentum ad actiones donorum, cum potentiæ animæ non habeant sufficientem proportionem cum illis: Sed de ratione instrumenti est operari solum per virtutem seu motionem transeuntem, à causa principali impressam: Ergo dona non sunt aliquid in nobis permanens, sed transiens & fluens.

Denique probatur Minor: Habitibus & qualitatibus permanentibus utimur quando volumus: Sed justis donis Spiritus Sancti ornatus & instructus, non potest eorum operationes pro libito exercere: Ergo talia dona non sunt qualitates permanentes & habituales, sed motiones actuales & transeuntes.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem dicendum, Gregorium vel non loqui de donis Spiritus Sancti, sed de gratiis gratis datis, quæ non sunt permanentes & per modum habitus in fidelibus, sicut in Christo: vel si loquatur de donis, solum intendit quòd illa fuerint in Christo longè excellentiori modo, quam in aliis, non verò quòd in aliis justis non sint permanentes, modo tamen imperfectiori.

Ad secundam respondet D. Thomas hic art. 3. ad 3. concessa Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem: dona enim Spiritus Sancti sunt necessaria homini ad salutem; Prophetia verò (inquit) est de donis quæ sunt ad manifestationem spiritus, non autem ad necessitatem salutis. Quod discrimen insinuat à D. Gregor. 2. moral. cap. 41. dicente, quòd *in illis donis sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus in electis omnibus semper manet, sed in aliis non semper manet*.

Ad tertiam dicendum, de ratione quidem instrumenti propriæ & rigorosæ esse operari per motionem & virtutem transeuntem; non tamen de ratione instrumenti largæ & improprie sumptiæ

quo pacto homo se habet ad actiones donorum, A  
 quo potentia animæ, ut per dona elevata, ha-  
 beant sufficientem proportionem cum illis. So-  
 lutio est D. Thomæ hic art. 3. ubi secundo loco  
 sibi idem argumentum objicit, & respondet,  
 quod ratio illa procedit de instrumento, cuius non est  
 agere, sed solum agi: tale autem instrumentum non  
 est homo, sed sic agitur à spiritu sancto, quod etiam  
 agit in quantum est liberi arbitrii, unde indiget ha-  
 bitu.

Ad ultimam respondeo hoc axioma: utimur  
 habitibus quando volumus: intelligi de habitibus  
 subditis rationi, & communibus regulis, non  
 verò de illis qui non subduntur rationi, nec re-  
 gulis ordinariis, sed extrarationalibus utuntur,  
 cuiusmodi sunt dona Spiritus sancti: unde ut  
 homo illis utatur, indiget speciali motione il-  
 lius; sicut ad actus indeliberatos, qualis est  
 prima intentio finis, debet specialiter moveri à  
 Deo, absque prævio consilio & deliberatione  
 rationis, ut docet Aristoteles lib. 7. moralium  
 Eudimiorum cap. 18. & D. Thomas supra quæ-  
 9. art. 4.

## §. III.

*Diluuntur alia obiectiones contra secundam conclu-  
 sionem fieri solita.*

13. **O**bjicies primò contra secundam conclu-  
 sionem: Idem præstant virtutes theologicae,  
 & morales infusæ, quod dona: Ergo non distin-  
 guuntur realiter inter se. Consequentia patet,  
 Antecedens verò probatur. Dona per nos ha-  
 bent disponere animam ad recipiendam motio-  
 nem Spiritus sancti: Sed hoc idem præstant vir-  
 tutes theologicae, & morales infusæ; cum enim  
 homo non possit actus illarum virtutum elcere,  
 nisi Spiritu sancto movente, inspirante, & illu-  
 minante, eo ipso quòd illæ disponunt & com-  
 plent potentias animæ ad actus supernaturales  
 eliciendos, etiam illas disponunt ad recipien-  
 dam motionem, inspirationem, & illuminatio-  
 nem Spiritus sancti: Ergo &c.

14. **R**espondeo negando Antecedens, ad cujus  
 probationem dicendum, quòd licet virtutes  
 theologicae, & morales infusæ, disponant ani-  
 mam ad recipiendam motionem Spiritus san-  
 cti, diversimodè tamen à donis, nam dona il-  
 lam disponunt ad motionem Dei specialem,  
 quæ homo à Deo movetur, non medio consilio  
 & deliberatione, sed divino instinctu; virtutes  
 verò theologicae, & morales infusæ, illam di-  
 sponunt ad recipiendam motionem Spiritus san-  
 cti communem & ordinariam intra ipsum ordi-  
 nem supernaturalem, per quam scilicet homo  
 natus est moveri supposito consilio & delibera-  
 tione rationis. Unde D. Thomas hic art. 1. ad  
 4. *Sapientia dicitur intellectualis virtus, secundum  
 quod procedit ex iudicio rationis; dicitur autem do-  
 num, secundum quod operatur ex instinctu divino.*

15. **O**bjicies secundò: Virtutes infusæ, & dona  
 versantur circa eandem materiam, v. g. fortitu-  
 do ut est donum, & ut est virtus; similiter fides  
 & intellectus respiciunt eadem objecta: Ergo  
 non distinguuntur inter se realiter.

**R**espondeo virtutes infusæ & dona respicere  
 quidem eandem materiam, sed modo valde di-  
 verso, nam dona eam attingunt sub motivo lon-  
 gè alteriori, nempe ut subest mensuræ excedenti  
 modum rationis.

**I**nstabis: Ad attingendum aliquid sub moti-  
 vo alteriori non requiritur nova virtus, sed suffi-  
 cit quòd eadem fiat intensior, minime verò quòd  
 distinguatur specie ab ea quæ potest tantum at-  
 tingere illud sub motivo inferiori & minus ar-  
 duo: Ergo illa ratio non convincit dona distan-  
 gui realiter à virtutibus infusis, sed ad sum-  
 mum accidentaliter, sicut virtus intensa distin-  
 guitur à remissa.

**R**espondeo distinguendo Antecedens: Ad  
 attingendum aliquid sub motivo alteriori non  
 requiritur nova virtus &c. quando motivum  
 altius & minus arduum sunt intra eandem ratio-  
 nis mensuram dirigentem, concedo Antece-  
 dens: secus, nego Antecedens. Motivum au-  
 tem, sub quo attingitur objectum per dona Spi-  
 ritus sancti, est extra lineam mensuræ motivi, sub  
 quo attingitur per virtutes infusæ: quia ista re-  
 spiciunt objectum, ut modo humano (intra ordi-  
 nem tamen supernaturalem) attingibile; dona  
 verò respiciunt illud ut attingibile supra om-  
 nem modum humanum.

**D**ices: Etiam in virtutibus theologis interdum  
 contingit aliquem operari præter commu-  
 nem & ordinarium modum, ut cum aliquis ex  
 charitate animam suam tradit pro amicis; vel  
 tam perfectam habet fidem, ut ea sufficiat ad  
 montes transferendos, & miracula patranda:  
 Ergo non solum dona, sed etiam virtutes super-  
 naturales & infusæ, respiciunt suum objectum,  
 ut supra omnem modum humanum attingibile.

**R**espondeo quòd quando virtutes theologi-  
 cæ actus aliquos heroicis & extraordinarios  
 eliciunt, adjuvantur à donis Spiritus Sancti, quia  
 sola ratio cum virtutibus illis non sufficit ad ta-  
 les actus eliciendos. Unde cuilibet virtuti the-  
 ologicae aliquod donum correspondet; Fidei-  
 nim correspondet Intellectus & Scientia, ut  
 docet S. Thomas 2. 2. q. 8. & 9. Spei donum tri-  
 moris, ut docet qu. 19. & Charitati donum Sapi-  
 entia, ut asserit qu. 45.

## §. IV.

*Corollaria notatu digna.*

**E**X dictis inferes primò, dona in communi  
 sic posse defini, seu describi: Dona sunt  
 bonæ qualitates mentis à Deo infusæ, quibus  
 nullus malè utitur, & quibus rectè vivitur, re-  
 ctitudine operationis quæ est supra omnes regu-  
 las prudentia, tam acquisita, quam infusæ ex  
 peculiari instinctu & inspiratione Dei. Vel ali-  
 ter: Dona sunt dispositiones ad optimum, ex-  
 cedens regulas ordinarias cuiuscumque pru-  
 dentia.

**I**nferes secundò dona Spiritus sancti esse ho-  
 mini necessaria ad salutem. Utenim discunt  
 S. Thomas hic art. 2. quòd imperfectè habet na-  
 turam aliquam, vel formam, aut virtutem, non  
 potest per se operari, nisi ab altero moveatur: si-  
 cut Luna, in qua est imperfectè natura lucis, non  
 illuminat, nisi illuminata à Sole: Sed virtu-  
 tes theologicae, & morales infusæ, imperfectè  
 informant animam rationalem: Ergo per illas  
 non ita perficitur homo in ordine ad ultimum  
 finem, quin semper indigeat moveri quodam  
 superiori instinctu Spiritus sancti, subindeque  
 donis illius, quæ animam ad motionem illam  
 disponant.

**I**nferes tertio, dona Spiritus sancti non posse

se esse sine charitate: quia sicut virtutes morales reddunt vires appetitivas mobiles à ratione, ita dona reddunt vires animarum mobiles à Spiritu sancto: sicut autem ratio perficitur per prudentiam, ita Spiritus sanctus habitat in nobis per charitatem: Ergo sicut virtutes morales conne-ctuntur cum prudentia, ita dona cum charitate. Ex quo

16. Inferes quartò, quòd sicut una virtus sine alijs non est perfecta, ita nec unum donum sine alio perfectum esse potest. Undè Gregorius 1. moral. cap. 15. *Sicut unaquaque virtus sine alia valde destruitur; ita unumquodque donum sine alio imperfectum erit. Minor est sapientia, que intellectu caret: sapientia enim, qua est sine intellectu, est hebes. Inutilis est intellectus, si ex sapientia non subsistat: quia cum altiora sine sapientia penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium sine fortitudine: quia quòd tractando invenit, sine viribus ad actum non perducit. Fortitudo etiam, qua plus potest, sine moderamine rationis in præceptis ruit. Nulla est scientia sine pietate: quia qui bona cognita non exequitur, gravibus judicatur. Pietas sine scientia discretione quomodo misereatur ignorat. Timor sine his nihil valet, quia ad omnia trepidans, à bonis operibus torquet.*

17. Inferes quintò, quòd dona Spiritus sancti quoad ipsorum materiam, circaquam nunc versantur, ipsa scilicet opera vitæ activæ, non remanebunt in patria, nam opera illa non habent locum in statu gloriæ remanebunt tamen, & quidem perfectissimè, quantum ad essentiam donorum; quia tunc homo totaliter Deo subditus, Spiritus sancti motionem perfectissimè sequetur. Habebunt etiam omnia dona actus suos in patria circa ea, quæ pertinent ad vitam contemplativam, quæ est vita beata. Undè Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 20. *Civitas Dei illa Hierusalem celestis, non meatu alicujus fluvii terrestri alluitur; sed ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cujus nos brevi satiatur haustu, in illis celestibus spiritibus redundantiùs videtur affluere, pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu.*

18. Inferes sextò, dona Spiritus sancti esse quidem inferiora virtutibus Theologicis, sed superiora virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

Prima pars hujus corollarij patet: Nam virtutes Theologicae conjungunt nos ultimo fini, dona verò deserviunt ad movendum nos ad ultimum finem, juxta illud Psalmi 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Ergo virtutes Theologicae omnibus donis præferendæ sunt.

19. Secunda etiam pars non est minus evidens: Homo enim per virtutes morales acquiritur disponitur, ut facile & connaturaliter moveatur à ratione; per infusas, ut moveatur à lumine fidei & gratiæ; per dona verò disponitur ut connaturaliter moveatur à Spiritu sancto: *Manifestum est autem* (inquit S. Doctor hic art. 8.) *quod ad altiore motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum:* Ergo dona perfectiora sunt virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

20. Confirmatur: Virtutes morales acquisitæ respiciunt suum objectum ut dirigibile per regulas prudentiæ acquisitæ; infusæ illud attingunt ut dirigibile per regulas prudentiæ infusæ, modo communi & ordinario; dona verò illud respiciunt ut dirigibile modo altiori, nempe per

Tom. III.

A quandam specialem motionem, & instinctum Spiritus sancti: Ergo illa superiora & perfectiora sunt virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

## ARTICULUS II.

### De donis Spiritus sancti in particulari.

SEPTEM dari Spiritus sancti dona, communi est Patrum & Theologorum consensus: & colligitur ex Scriptura Isaia 11. ubi septem recensentur his verbis: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Ratio verò assignatur à D. Thoma hic art. 4. 25. Quot enim sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum, tot sunt dona Spiritus sancti: Sed septem sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum: Ergo septem sunt dona Spiritus sancti. Major probatur: quia dona Spiritus sancti sunt quidam habitus perficientes hominem ad hoc ut promptè sequatur instinctum ipsius Spiritus sancti; sicut virtutes morales perficiunt vires appetitivas ad hoc ut obediant rationi: unde sicut morales virtutes sunt secundum numerum operationum, in quibus virtutes appetitivæ moventur à ratione; ita dona tot sunt, quot operationes potentiarum, quæ sunt aptæ moveri à Deo. Minor etiam suadetur: Nam vis, quæ est principium humanorum actuum, duplex est, scilicet ratio, & appetitus; ratio etiam duplex est, nimirum speculativa & practica; & sic est triplex principium humanorum actuum, nempe ratio speculativa, ratio practica, & appetitus; operatio verò intellectus, cum speculativi, cum practici, duplex est, scilicet apprehensio veritatis, & judicium de veritate: similiter appetitus duplicem habet operationem, unam per quam se habet ad ea, quæ sunt ad alterum, aliam vero per quam se habet ad ea, quæ sunt ad se; & hæc sunt duo, scilicet pericula & delictabilia: unde septem sunt operationes harum potentiarum. In primis intellectus speculativus apprehendit veritatem; & hæc operatio perficitur per donum intellectus: secundò judicat de veritate apprehensa; & hæc perficitur per donum sapientiæ. Similiter intellectus practicus primò apprehendit veritatem, & hæc apprehensio fit per donum scientiæ: secundò judicat de veritate apprehensa; & hæc perficitur per donum consilij. Appetitus verò in his, quæ sunt ad alterum, perficitur per donum pietatis; in his autem, quæ sunt ad se, primò in timore periculorum perficitur per donum fortitudinis; secundò in concupiscentia delectabilium perficitur per donum timoris, secundum illud Proverb. 6. *In timore Domini declinat omnis à malo:* & illud Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judicij enim tui timui.* Quasi diceret (inquit Glossa) da mihi castum timorem, scilicet filialem, quo omnia carnalia desideria configantur. Ergo septem sunt dona Spiritus sancti, nempe donum intellectus, donum sapientiæ, donum scientiæ,

Y y

tia.